

Jacob Burgmann

Festivitati Lucis Onomasticæ, Serenissimi Ac Celsissimi Principis Ac Domini, Dn. Caroli Leopoldi, Ducis Regnantis Meclenburgici ... Instante XXIIIX. Januarii cum gaudio omnium comparentis, a ... Dn. Ludovico Schultz, Gedano-Borusso ... Solenni Oratione De Summis Principum Deliciis In Bibliis ... qui Veneris est, in Auditorio Majori hora X. inter concentus Musicos ... ut frequentes interesse velint ... Observantia & Humanitate rogat

Rostochii: Typis Nicolai Schwiegerovii, [1724]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1793849196>

Druck Freier  Zugang



2°

Carl Leopold.

1713 - 1748.

Mkl f I

1926-40

clb



35 Stücke

Mtblg. f. I.

1926. 40

FESTIVITATI LUCIS
ONOMASTICÆ,
SERENISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI,

DN. **C**AROLI

LEOPOLDI,

DUCIS REGNANTIS MECLENBURGICI,
PRINCIPIS VANDALIÆ, SVERINI AC RACEBURGI,
COMITIS ITEM SVERINENSIS, TERRARUM ROSTOCHII ATQVE
STARGARDIÆ DYNASTÆ, ACADEMIÆ HUIUS
CANCELLARII MAGNIFICEN-

TISSIMI,

PRINCIPIS AC DOMINI NOSTRI LONGE
CLEMENTISSIMI,

Instante XXIIX. Januarii cum gaudio omnium
comparentis,

Viro Præcellentissimo atque Præclarissimo

DN. **L**UDOVICO **S**chulz,

Gedano-Boruffo, Philosophiæ Magistro Dignissimo,

SOLENNI ORATIONE

DE SUMMIS PRINCIPUM DELICIIS IN BIBLIIS,

dicto die, qui Veneris est, in AUDITORIO MAJORI hora X,

inter concentus Musicos, omni pietate mentisque devotione

prosequendæ, ut frequentes interesse

velint,

MAGNIFICUS **D**N. **R**ECTOR,

Gravissimi Omnium Ordinum Proceres, Splendidissimi

omnium Facultatum Professores, Doctores, Sacrorum Antistites, Liberalium

Artium Magistri, nec non lectissimus Studiosorum Cœtus, omnes

denique qui Literas amant magnique faciunt,

Eâ, qua par, est Observantia & humanitate rogat,

M. JACOBUS BURGSMANN,

Gr. L. P. P. Facult. Suae Senior & h. t. DECANUS, Ecclesiæq; Nicol. Pastor.

ROSTOCHII, Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampliff. Senat. Typogr.



Non eadem omnibus instituta & studia convenire, tam pervulgatum est
 contestatumque, ut velut in proverbium abierit, duos, cum faciunt
 idem, idem non facere, & vitam unamquamque suos sibi mores po-
 stulare. Gravissime verò se traducunt, qui, *πρέπον* ejusmodi ad pri-
 vatos solum & ignobiles pertinere homines, opinantur; Principibus
 autem, velut regula aut lege nulla adstrictis quodlibet audendi æquam
 semper potestatem dispensant. Enimverò hos quam maximè decet *κοσμιότης* quos præ-
 ceteris Summum Numen evexit, & ad eminentissimum inter mortales fastigium pro-
 duxit, & in conspectu omnium hominum collocavit. Persona namque Principis,
 Tullio iudice, non solum animis, sed etiam oculis servire debet Civium. Confitentur
 id omnes, quotquot aut doctrinas Politicas consignare, aut juventutis Regiæ & Serenif-
 mæ mores formare, aut decori tandem civilis, quod à naturali distinguunt, rationes
 explanare sunt aggressi. Magna etenim eruditorum consensus est, Majestatem Imperii,
 ut CURTIUS ait, salutis esse tutelam, & dominantium esse, ut Majestati inserviant, nil-
 que admittant, quo aliis vel minima occasio se minus admirandi & suspiciendi præbea-
 tur, quemadmodum Cl. FRIDER. GFNTZKE alicubi præcipit. Parari hanc *σεμνότησιν*
 variis modis posse, nemo nisi rerum illarum penitus ignarus, nescit. Inter illos tamen
 ordinem, constantiam & moderationem dictorum omnium atque factorum, sive quod
 idem est, decorum, nullatenus prætermitti debere, cum JUSTO LIPSIUS persuasum
 habeo. Planissimum siquidem est, externæ vivendi rationi admisceri quid posse, quod
 incautum de existimationis gradu deficiat, & in contemptum adducat, à quo Principes
 tamen etiam atque etiam cavere sibi debent. Non facilius autem levitatem omnem ef-
 fugient, nec rectius dignitati suæ consulent, quam si reliquis huc spectantibus observatis,
 Decori Civilis tenaces, circumspicere subinde incedant. Non refragabitur, ut reor,
 quisquam, nisi qui vel sordidam vitam cum Cynicis comitæ cultæque prætulit, vel cum
 illustri quondam JO. SAM. STRYKIO decorum omne fastus & arrogantia argumentum
 fuerit interpretatus. Sed quemadmodum scitis illorum Moralibus vulgò exiguum
 haud immeritò pretium statuitur; ita hanc illustris, ceteraque doctissimi viri opinio-
 nem in iis numero, quæ nimia videntur in piis desideriis Strykianis. Excutiamus
 hominis naturam, statusque diversos, nec divelli ab eo *τὸ πρέπον* commode posse, nullo
 negotio animadvertemus. Haud male CICERO decorum naturale id esse, ex mente
 Stoicorum ait, quod consentaneum sit hominis excellentiæ in eo, quo natura ejus à re-
 liquis animantibus differat. In quo recentius consentientes sibi habet Duum-Viros Ce-
 leberr. Lambertum Velthuysium & Jo. Burc. Menkenium, Polyhistorum hodie Lipsi-
 ensium, quorum ille Commentationibus suis *de principis justis & decori & de naturali
 pudore & dignitate*; hic Dissert. *de eo, quod decorum est*, fundamenta *τῆς πρέπουσιν* ex con-
 genita hominis prærogativa potissimum derivarunt. Idem ad civile etiam decorum re-
 cte transfertur. Quod si etenim naturalis excellentia mores homini peculiare impe-
 rat & præscribit, facile existimari potest, status Civiles diversos, quorum unus altero
 nobilior & superior est, decori quoque varietatem exposcere, & quo horum quisque
 præstantior, eò magis ornandum eum & gravitate circumscribendum esse. In quo au-
 tèm eorum major amplitudo, & augustior *ἐξοχή* eluceat, quam in eo, quem summi
 Imperantes occupant tenentque? Quapropter decori, quod Principem distingvit, eos præ-

præ ceteris memores, studiosos & observantissimos esse debere, sana ratio jubet. Forte sanctissimus etiam Codex in subsidium hic adhiberi posset, quæ Substantialem Sapientiam Principis voce instruit, (a) & ab imperantibus, nonnisi quæ Summorum Virorum personis digna sunt, cogitanda & suscipienda esse, exigit. Notum enim est, quod Vates *Θεοπνευστὸς* ominatur: **Die Fürsten werden Fürstliche Gedancken haben / und darüber halten.** (b) Verum enim vero, præterquam quod B. LUTHERI Versio aliquando rectius paraphrasis quam metaphrasis vim habeat, id nunc non ago, ut ex divinis oraculis fidem meis assertis faciam. Id à quolibet etiam sanæ mentis datum mihimet iri, confido, Principem sive corporis habitum, sive sermones, sive alios spectes actus externos, eum gerere se debere, ne decori limites egressus majestatem ludibrio exponat, aut evilesceat quadantenus patiat. Quare vitio vertendum iis non est, qui Principes instituunt, ut iis otia personis suis non dedecentia, & inter ipsas oblectationes Majestatis custodiam curamque commendent. Nunquam profecto laudari posset imperans, si cum CLAUDIO alea ludendo, cum NERONE aurigando, muscas captando & sagittas ejaculando cum DOMITIANO certare vellet. Longius enim hæc à Principis dignitate absunt, quam ut exerceri ab eo decore possint: Neque desunt Studia magis feria aptaque, quibus animus à curis fessus relaxari & refici possit. Nullus dubito artibus inter ea liberalibus & scientiis eruditus locum haud postremum adsignare, quandoquidem iis tot Purpurati, Principes Græcè & Ebraicè docti, Principes Theologi, Principes Medici, Principes Mathematici, Principes Oratores & Principes Poëtæ semet recrearunt, à VAL. ERN. LOESCHERO, JOH. CHR. LOESHERO, HENR. GE. GOETZIO, DAN. GE. MORHOFIO, JUSTO CHRISTOPH. BOEHMERO, SAM. REYHERO aliisque recitati. Novissimum est exemplum Imperatoris hodierni Chinesis, quem disciplinis non solum Philosophiæ Confucianæ benè excultum esse, sed Europæis etiam scientiis semet erudendum dedisse, itinerarium fide dignum 4. abhinc annis vulgatum tradit. (c) Neque leve etiam sententiæ meæ robur accedere inde credo, quod Serenissimus Dux Isenacensis librum haud ita pridem excusum, in quo judice Clar. JO. HENR. ACKERO, (d) egregia multa tantaque principe digna continentur, inscripserit: **Fürstliche Gedancken.** Hoc ipso namque luculenter innuit, mereri literarum studia, ut otii nonnihil Imperantes iis insumant tribuantque. Non sum nescius, quiritari nonnullos, ac si hebescat per ea Principum Virtus, mollesque & effœminati mores induantur. Allegari etiam solent exempla Regum Ducumque, qui literis dediti subditis pessime prospexerint. Ast demus, Literatos extitisse Principes, qui fasces Imperii secus, quam par est, moderati sint! Nunquam tamen perficient, Studiorum id culpâ evenisse. Curatius eventus scrutentur, atque alium mali fontem illos exploraturos esse prædem me sisto. Quid quæso literis inesse potest, quod ingenia deprimat aut corrumpat? imprudenter, qui id statuunt rationes subducunt. Rectius, arbitror, sentire discent, cum relatum legent, viros innumeros militia æque ac Scriptis illustres deprehendi, quorum messem dedit laudatus JO. BURC. MENCKENIUS; Spicilegium verò in iis, qui Arte & Marte clari fuere exhibuit GODOFR. WAGNERUS. Interea non invitus largior, ut aliis rebus, sic & studiis modum ponendum esse ab his, quibus publica salus curæ cordique esse debet, ne justitia & concordia una cum subditorum felicitate periclitentur. Quis omnes etiam subtilitates ab iis perquirendas & rimandas esse opus judicaverit? Absit, ut ita tempus fallant aut ingenia vexent. *τὰ πρῶτα* disciplinarum si animis comprehenderint, polymathia ipsorum satis accurata censeri potest. Præclara vox est JACOBI Angliæ Regis, qua Filium Principem ad literarum studia excitat atque hortatur: *Liberalium, inquit, artium Studiis imbutum te volo, quantum satis est Regi: non excultum, quantum exigitur à Professore. Accuratori enim minutiarum tractatione à muneris tui functione avocaberis, & hoste urbem deripiente forte cum Archimede deprehensus in pulvere inglorium populo tuo exhibebis spectaculum.* Sua etiam sponte intelligitur, non eodem loco numeroque quasvis artes habendas esse, sed quæ administrandæ Reipublicæ maximè deserviunt, omnium diligentissimè colendas esse ceteris vel neglectis vel remissius tractatis. Perspecta hæc fuere Archi-Episcopo Cameracensi, de quo sequentia referunt Menses Hannoverani: (e) **Der Bischoff von Cambray versichert / es habe ein Prinz nichts mehr zu wissen vonnöhten als die Historie / die Staats-Wissenschaft / und**

(a) Prov. VIII. 6. (b) Es. XXXII. 8. (c) Vid. Gesl. Zeit, 1720. Part. I. n. 1. pag. 402. 403. (d) Supplem. ad Bibl. Philosoph. Struv. c. 7. §. 11. p. 9. (e) 1700. M. Febr. p. 102. 103.

und wie man eine Armee commandiren sol. Man weiset ihnen übrighens / es
seye nicht wol anständig / wenn ein Fürst einen Poëten, Grammaticum, Mathe-
maticum, Mahler / Philosophum, Musicum, Theologum, oder auch Gelahrten ab-
geben wolle; nichts desto weniger aber lehret man sie den Kern / und so viel
Ihnen nöthig ist von allen diesen. Assentior lubens prudentissimis istis monitis,
nisi quod Studium sacrarum literarum procul dubio hic præsuppositum, dictis adjun-
gendum, omniq[ue] contentione prosequendum esse, putem. Hoc etenim à Principis
persona alienum non est, publicamque salutem non impedit aut intercipit, sed promo-
vet egregiè juvatque. Unde mirum non est, omnis ævi historiam Principes laudare
divinæ Scripturæ amore studioque insignes. Atque horum Virtutem Oratione pecu-
liari de *DELICHS PRINCIPUM IN BIBLIIS* commemorare & deprædicare instituet
Vir Præcellentissimus Dn. M. LUDOVICUS SCHULTZ, Gedano-Boruffus, Philos.
Mag. præclarissimus, ut ipsi occasio inde existat Serenissimi Principis ac


Domini, **DN. CAROLI LEOPOLDI**,
Ducis Regnantis Megapolitani, Principis Vandaliaë,
Sverini & Raceburgi, Comitis item Sverinensis,
Terrarum Rostochii & Stargardiaë Dynastæ, Can-
cellarii Academiaë Magnificentissimi, Principis ac
Domini Nostri longe Clementissimi, Diem, quem **PRIN-
CIPIS** Nostri Nomen veluti adamante notatum signatumque nobis
omnibus gratum sanctumque esse jubet celebrandi lætissimum, quemque
Tanto PRINCIPI felicem fortunatumq[ue] illuxisse gaudemus, plaudimus, ova-
mus. Consecrata est lætitiæ huic inter Conventus Musicos, in Auditorio majori, diei Veneris
hora Decima ante-pomeridiana expediendæ. Proinde Magnificum DN. RECTOREM,
Gravissimos omnium Ordinum Procures, splendidissimos Omnium Facultatum Dnn.
Professores, Doctores, Sacrorum Antistites, Liberalium Artium Magistros, lætissimum
Studioforum Cætum, & reliquos literis Literatisque benè cupientes obnixè rogo, ut
Actum hunc Panegyricum applausu frequentiaque sua locupletioem atque ornatorem
reddere, Vota Votis conjungere, Almoque Numini integritatem Serenissimi
PRINCIPIS Nostri, nec non totius Celsissimæ Do-
mus Ducalis & totius Provinciaë, Urbis, Academiaë,

sortem, salutem & prosperitatem suspiriis precibusque ardentibus
commendare animos benevolenter
inducant.

*ROSTOCHII, die XXVII. Januarii,
Anno MDCCXXIV.*



LBMV Schwerin 33
000 195 448



memores, studiosos & observantissimos esse debere, sana ratio jubet. Forte etiam Codex in subsidium hic adhiberi posset, quæ Substantialem Sapientiam voce instruit, (a) & ab imperantibus, nonnisi quæ Summorum Virorum sententia sunt, cogitanda & suscipienda esse, exigit. Notum enim est, quod Valerius Maximus ominatur: *Die Fürsten werden Fürstliche Gedancken haben / und darü* (b) Verum enim vero, præterquam quod B. LUTHERI Versio aliquando paraphrasis quam metaphrasis vim habeat, id nunc non ago, ut ex divinis orationibus meis assertis faciam. Id à quolibet etiam sanæ mentis datum mihimet iri, principem sive corporis habitum, sive sermones, sive alios spectes actus exornare se debere, ne decori limites egressus majestatem ludibrio exponat, re quadantenus patiat. Quare vitio vertendum iis non est, qui Principes ut iis otia personis suis non dedecentia, & inter ipsas oblectationes Majestatis curamque commendent. Nunquam profecto laudari posset imperans, si cum alea ludendo, cum NERONE aurigando, muscas captando & sagittas eja-ctam DOMITIANO certare vellet. Longius enim hæc à Principis dignitate am ut exerceri ab eo decore possint: Neque desunt Studia magis seria aptas animus à curis fessus relaxari & refici possit. Nullus dubito artibus inter-ius & scientiis eruditus locum haud postremum assignare, quandoquidem iis tot Principes Græcè & Ebraicè docti, Principes Theologi, Principes Medici, Prin-ematici, Principes Oratores & Principes Poëtæ semet recrearunt, à VAL. ERN-ERO, JOH. CIIR. LOESHERO, HENR. GE. GOETZIO, DAN. GE. MOR-JUSTO CHRISTOPH. BOEHMERO, SAM. REYHERO aliisque recitati. Nam est exemplum Imperatoris hodierni Chinensis, quem disciplinis non solum Græcæ Confucianæ benè excultum esse, sed Europæis etiam scientiis semet erudi-disse, itinerarium fide dignum 4. abhinc annis divulgatum tradit. (c) Neque sententiæ meæ robur accedere inde credo, quod Serenissimus Dux Isenacen-haud ita pridem excusum, in quo judice Clar. JO. HENR. ACKERO, (d) egre-gia tantaque principe digna continentur, inscripserit: *Fürstliche Gedancken*. Namque luculenter innuit, mereri literarum studia, ut otii nonnihil Imperan-ant tribuantque. Non sum nescius, quiritari nonnullos, ac si hebescat per-mollesque & effœminati mores induantur. Allegari etiam solent umque, qui literis dediti subditis pessime prospexerint. Ast de-le Principes, qui fasces Imperii secus, quam par est, moderati sint! ficient, Studiorum id culpâ evenisse. Curatius eventus scrutentur, tem illos exploraturos esse prædem me sisto. Quid quæso literis ingenia deprimat aut corrumpat? imprudenter, qui id statuunt Rectius, arbitror, sentire discent, cum relatum legent, viros in-e ac Scriptis illustres deprehendi, quorum messem dedit laudatus XENIUS; Spicilegium verò in iis, qui Arte & Marte clari fuere WAGNERUS. Interea non invitus largior, ut aliis rebus, sic & ndum esse ab his, quibus publica salus curæ cordique esse debet, ne ana cum subditorum felicitate periclitentur. Quis omnes etiam sub-rendas & rimandas esse opus judicaverit? Absit, ut ita tempus fal-ent. Τα νεώτα disciplinarum si animis comprehenderint, polyma-curata censerit potest. Præclara vox est JACOBI Angliæ Regis, qua d literarum studia excitat atque hortatur: *Liberalium*, inquit, *arti-te volo, quantum satis est Regi: non excultum, quantum exigitur à tiori enim minutiarum tractatione à muneris tui functione avocabe-deripiente forte cum Archimede deprehensus in pulvere inglorium po-ectaculum.* Sua etiam sponte intelligitur, non eodem loco numero-abendas esse, sed quæ administrandæ Reipublicæ maximè deservi-entissimè colendas esse ceteris vel neglectis vel remissius tractatis. Archi-Episcopo Cameracensi, de quo sequentia referunt Menses *Der Bischoff von Cambray versichert / es habe ein Prinz-issen vonnöhten als die Historie / die Staats-Wissenschaft / und*

(b) Es. XXXII. 8. (c) Vid. Gel. Zeit, 1720. Part. I. n. 1. pag. 402, 403. ad Bibl. Philosoph. Struv. c. 7. §. 11. p. 9. (e) 1700. M. Febr. p. 102, 103.

